DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO PHRENITICO.

Morison

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROCEPHALO PHRENITICO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ALEXANDER MORISON,

SCOTO-BRITANNUS:

Chirurgus.

"*Venienti occurrite morbo.*"

PERS. *Sat.* III.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

M,DCC,XCIX.

VIRO REVERENDO,

JOSEPHO GILBANKS,

KIRKLANDIAE

IN

CUMBERLANDIA

VICARIO,

LITERIS, MORUM COMITATE,

ET

VITAE INTEGRITATE

ORNATO,

SACRAS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO

ACCEPTA OB BENEFICIA

GRATO,

VULT

ALEXANDER MORISON.

VIRIS OPTIMIS,

ALEXANDRO WOOD,

ET

GEORGIO WOOD,

EDINBURGI

PERITE CHIRURGIAM FAUSTEQUE

FACIENTIBUS,

A

QUIBUS

ARTIS MEDICINALIS

ELEMENTA

DIDICIT,

PEREXIGUUM HOC

ANIMI BENEFICIORUM HAUD IMMEMORIS

TESTIMONIUM,

LITERIS

CONSIGNAT

ALEXANDER MORISON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO PHRENITICO.

PROŒMIUM.

§ I. MORBORUM, quibus patent mortales, pauci sunt periculosiores, aut ad quos sanandos minùs valet medicina, quàm is, de quo nobis in animo est pauca scribere.

II. De hoc morbo, veteres medici, utpo-

te qui ejus naturam parùm intellexerint, scriptis nihil distinctè tradiderunt. Satìs tamen constat, iis notum fuisse. HIPPOCRATES enim multa signa, quibus cognoscatur, literis prodidit. "*Si*," inquit, "*aqua* "*in cerebro fuerit; dolor acutus per sinciput* "*ac tempora emergit, aliàs alio loco: et rigor* "*ac febris aliàs atque aliàs: et regiones ocu-* "*lorum dolet, et caecutit, et pupilla finditur,* "*et ex uno duo se videre putat, et si surrexe-* "*rit, vertigo ipsum corripit, et ventum non* "*sustinet, neque solem: et aures tinniunt, ac* "*inter audiendum strepitu offenditur: et vo-* "*mit salivam ac pituitam, quandoque etiam* "*cibos: et capitis cutis attenuatur, et contac-* "*tu gaudet.**"

III. Neque profectò distinctiùs, de hoc morbo,

* Vid. HIPPOCRAT. Coi *De Morbis*, lib. II. cap. XV. edit. a *Vander* LINDEN.

morbo, scripsit CELSUS. Ubi quidem *CEPHALAEAM* describit, signa quaedam *hydrocephali phrenitici* memorat; sed, praeterquam quòd illum morbum pestiferum esse dicit, alia signa adjicit, quibus, nostrâ aetate, hic nunquam cognoscitur.*

IV. Recentiorum medicorum primus, quantùm scimus, qui *hydrocephalon phreniticum* accuratè descripsit, PAISLEIUS erat.† PETITUS quidem, ante PAISLEIUM, praecipuas hujus morbi notas memoraverat, at minùs distinctè et ordinatè.‡

V.

---

* Vid. AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicina*, lib. IV. cap. II.

† Vid. EDINBURGH *Medical Essays and Observations*, vol. III. artic. XXIII.

‡ Vid. *Memoires de L'Academie de Sciences*, pour l'ann. M,DCC,XVIII.

v. Ex quo tempore descripsit PAISLEIUS, alii medici, WHYTTIUS, nempe, FOTHERGILIUS, QUINIUS, et RUSHIUS, aliique haud pauci, eum scriptis fusè persecuti sunt; et nulla nunc, apud medicos, dubitatio relinquitur, quin initio inflammationem habeat.

VI. Morbus, quem persequi nobis consilium est, sicut omnes morbi, quorum natura diu parùm intellecta latuit, aliis nominibus appellatur ab aliis auctoribus.

VII. QUINIUS *hydrocephalon internum* nominat, idcirco forsan quòd, patefactorum, post mortem, cerebrorum in ventriculis, humor plerumque invenitur.*

VIII.

---

* Vide QUIN. Dissertat. Inaug. *De Hydrocephalo Interno*, EDIN. M,DCC,LXXIX.

VIII. CULLENUS, eò haud dubiè, quòd hoc morbo correptis, sicut attonitis, et corpus et mens, aliquandiu ante mortem, stupent, et, post mortem, cerebri ventriculi, plerumque aquâ effusâ oppleti, incidenti se offerunt, *apoplexiam hydrocephalicam* appellat.*

IX. Quum verò, utì observârunt QUINIUS et RUSHIUS,† ac inter omnes nunc medicos convenit, initio inflammatio sit, dein effusio humoris, tum et corporis et mentis stupor; accedimus huic auctori, morbum speciem phrenitidis potiùs habendum esse, quae, utì haud rarò *pneumonia*, aquae effusione terminatur. Ei *phreniculam* RUSHIUS

* Vide CULLEN, *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. gen. *Apoplex.*

† Vide RUSH. *Medical Inquiries and Observations*, vol. II. page 215.

IUS dixit nomen. Nostrâ verò opinione, potest aptiùs nominari *hydrocephalos phreniticus*.

X. Hic morbus, sicut inter medicos convenit, impuberes, prae adultis, adoritur. Interdum tamen non solùm adultis, sed etiam aetate florentibus *, imò etiam mediis †, obrepit. In eum verò nunquam, quoad scimus, incidunt provectiores aetate.

XI. Quibusdam, prae caeteris, parentibus nati, huic morbo opportuni observantur. An verò ex victûs, vestitûs, et educationis communitate, an ex congenita quadam proprietate corporis nondum evidente, neutiquam satìs constat.

XII.

---

* Vide LONDON *Medical Observations*.

† Vide QUIN. Dissertat. Inaug. *De Hydrocephalo Interno*.

XII. Pueri, utì dicunt medici, saepius hoc morbo afficiuntur, quàm puellae; iique praesertim, qui, ante adversae valetudinis initium, non corpora modò validi erant, sed animos quoque praecoces et vegeti *.

XIII. Complures haud rarò hoc morbo extinguuntur, quorum neque parentes neque parentum parentes in eum proclives videbantur. Hinc concludere aequum est, oriri non ex haereditaria corporis proprietate, sed duntaxat congenita; quae, etiamsi unam prolem huic morbo obnoxiam faciat, minimè tamen ad nepotes descendit.

XIV. An ullius, prae caeteris, temperamenti mortales *hydrocephalo phrenitico* opportuni sint; divitibus nati parentibus, an pau-

* Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Intern.*

pauperibus; nondum, opinamur, satìs constat. Neque profectò certiùs scitur, ubinam gentium, impuberibus lethalior sit hic morbus. Haec enimvero ex accurata observatione cognoscenda sunt, non vanis inexpertorum opinionibus.

DE-

DEFINITIO.

XV. Hic morbus a CULLENO, qui, utì jam memoravimus, *apoplexiam hydrocephalicam* nominat, definitur ;

" *Apoplexia paulatim adoriens ; infantes*
" *et impuberes, primùm lassitudine, febri-*
" *culâ et dolore capitis, dein pulsu tardiore,*
" *pupillae dilatatione, et somnolentiâ affi-*
" *ciens* *."

XVI. Quum verò haec definitio morbi naturam haudquaquam accuratè aperiat, quippe in qua propria quaedam signa omittantur, in melius, utì putat GREGORIUS,

B mutari

* Vide CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. *gen.* XLII. *spec.* 3.

mutari debet. Accuratiùs fortasse definiri potest morbus :

XVII. *Inflammatio* encephali *paulatim adoriens, impuberes, rarissimè adultos et aetate florentes, provectiores ferme nunquam, afficiens ; primùm lassitudine, febriculâ, et capitis dolore ; deinde pulsu tardiore et inaequali ; demum pulsu frequentissimo at aequali, pupillae amplificatione, et somnolentiâ : calore corporis parùm, si omnino, cum arteriarum pulsu, variante.*

XVIII. Inducti sumus, ut CULLENI definitioni quaedam adjiceremus, idcirco quòd, ut bene dixit CICERO, " *est definitio, earum rerum, quae sunt ejus* " *rei propriae, quam definire volumus,* " *brevis et circumscripta quaedam expli-* " *catio,*"

" *catio* *," in qua " *neque abesse quic-*
" *quam decet, neque redundare* †."

SIGNA.

---

* Vide MARC. TULL. CICERON. *De Oratore*, lib. I. cap. XLII.

* Vide MARC. TULL. CICERON. *De Oratore*, lib. II. cap. XIX.

SIGNA.

XIX. Omnes ferme medici, WHYTTIO auctore, tempus, quod cursu implet morbus, quem tractamus, in tria spatia dividunt. Signa igitur, quibus, in his singulis, cognoscitur, quàm paucissimis narrare nobis in animo est.

XX. *SPATIUM PRIMUM.*—Initio adversae valetudinis, toti corpori languor obrepit. Stomachus nauseat; atque, semel bisve quotidie, alterove quoque die, quaecunque in eo continentur, suprà per os reddit.* Modò frons super oculorum orbitas, modò vertex, acutissimo affligitur dolore; qui nonnunquam, nauseâ et vomitu remittentibus, intenditur, atque, his redeuntibus, remittit.

XXI.

* WHYTT. *Observations on the Dropsy of the Brain*, page 12. edit. EDIN. ann. M,DCC,LXVIII.

XXI. Neque profectò insolitum est, unum latus capitis, magis quàm alterum, dolere, atque aegrum caput inclinare in latus, quod dolet. Haud rarò etiam dolet cervix. Imò jam dolent artus, jam intestina; atque, his partibus dolentibus, nonnunquam capitis dolor remittit.*

XXII. Huc cùm ventum est, oculi, prae acriore sensu, qui iis inest, lumen refugiunt. Perpetuò ferè plorant aegri. Somnus fessos oculos fugit; vel, si quando obrepit, plerumque horrificis brevi somniis discutitur. Nonnunquam, dum somnum brevem et turbatum carpunt aegri, dentibus strident, et nares carpunt unguibus. Alvus ferme semper tarda est et astricta; verùm interdum tamen subviridia infrà transmittit. †

XXIII.

---

* Vide QUIN. Differt. Inaug. *De Hydroceph. Interno.*

† Vide QUIN. Differt. Inaug. *De Hydroceph. Interno.*

XXIII. De arteriarum pulsu, morbi initio, discrepat inter auctores. Ait WHYTTIUS*, a primo morbi acceſſu, arterias solito crebriùs moveri. Alii, fidi in primis, FOTHERGILIUS nempe et WATSON, perhibent, per paucos dies, quàm obrepsit invaletudo, arteriarum motus neutiquam solito citatiores esse.†

XXIV. Ingravescente morbo, stomachus frequentiùs assumpta suprà reddit. Caput usque eò dolet, ut miserandus ejulatu moveat adstantium horrorem. Crebriùs et citatiùs micant arteriae. Sitis urget. Magna est spirandi difficultas. Summa cutis, ea praecipuè capitis, supra modum incalescit.

Appropinquante

---

* Vide WHYTT. *Observations on the Dropsy of the Brain*, page 11.

† Vide LONDON *Med. Observat.* vol. IV.

Appropinquante vespere, intenditur febris. Facies subinde rubore suffunditur.*

XXV. Quando eò processum est gravitatis, miserando aegro, praesertim si adoleverit, non constat animus. Delirio enim, eoque aliquando feroce, turbatur.†

XXVI. *Spatium secundum.*—Postea verò quàm morbus, per aliquot dies, numero quidem incertos, at plerumque a septem ad quatuordecim, increverit, aliis notis insigniri incipit.

XXVII. Motus arteriarum hucusque solito celeriores, nunc, mirum in modum, tardescunt; et tum vi tum temporibus fiunt inaequales.

---

* Vide Quin. Differt. Inaug. *De Hydroceph. Interno.*

† Vide Quin. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Interno.*

inaequales. Interea, quod sanè mirum, urget sitis; et calor corporis adeò non remittit, ut nonnunquam intendi videatur.* Aliquantulùm verò levatur dolor.

XXVIII. Aeger nunc adeò non, ut antea, vigiliâ ferè perpetuâ premitur, ut veternosus fiat, et seriùs ociùs sopore gravetur. Propriis caput manibus saepe amplectitur,† et subinde miserabiliter ejulat; sed, quid sibi sit rei, adstantibus amicis aut percunctanti medico nequit dicere.‡

XXIX. Hoc ferè tempore, oculi saepe pervertuntur, modò nasum versus, modò tempora; et aegri interdum ex uno duo videre videntur. ‖

XXX.

---

* Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 17.

† Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Intern.*

‡ Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 18.

‖ Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 18.

XXX. Sub finem secundi spatii, miserandi aegroti interdum mente alienantur, neque rarò, sicut perterrefacti, horrendos subitò clamores tollunt.*

XXXI. Eodem ferè tempore, aeger avidè devorat oblatos sibi cibos, neque, sicuti primo morbi spatio, devoratos protinus suprà per os reddit. Etiamnum autem compressa plerumque alvus est: interdum verò vermes dejicit, vel saltem quaedam vermibus similia, quibus tamen dejectis nihil omnino levantur aegri miseriae.†

XXXII. *Spatium tertium.*—Postquam, per complures dies, numero verò incertos, haec signa perstiterint, novam prae se spe-

* Vide Whytt. *Observations*, &c. page 18.

† Vide Whytt. *Observations*, &c. page 18.

ciem ferre morbus incipit. Arteriae aequalibus denuo temporibus moventur. Earum verò pulsus frequentes adeò sunt atque imbecilli, ut in carpo vix, imò saepe ne vix quidem, numerari possint. Animam difficillimè reciprocant aegri, et, sicut attoniti, cum stertore. Sopore obruuntur, et, siquando excitati, delira quaedam submissâ et indistinctâ voce mussitant.*

XXXIII. Alterutriusque simul oculi palpebra fit paralytica, atque pupilla, vel vividissimâ luce, se cessat contrahere.† Quinetiam, in oculis quae alba esse debent, rubra sunt, perinde ac si inflammatione afficerentur.‡

XXXIV.

---

* Vide WHYT. *Observations*, &c. page 21.

† Vide WHYT. *Observations*, &c. page 21.

‡ Vide WHYT. *Observations*, &c. pages 22 et 23.

XXXIV. Hoc morbi tempore, facies hìc pallet; illic, rubet. Summa cutis, ea praecipuè artuum, maculis rubris variatur. Assumpta esculenta et potulenta, cum difficultate, devorantur. Intoleranda foeditas in anima est.* Alvus faeces, vesica urinam, aegro nesciente, egerunt. Demum, omnia membra convulsus, aeger fato concedit.

XXXV. Non autem semper hucusque procedit morbus. Interdum enim, quanquam rariùs, aeger absumitur, quàm veterno aliisque *apoplexiae* signis afficitur.

XXXVI. Antè verò quàm hujus morbi historiam ad finem perducimus, observandum est, eandem ei formam neutiquam semper

---

* Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 19.

semper constare. Etenim nonnunquam signa usque eò identidem intermittunt, ut haud levem aeger a *cinchonae* cortice percipiat utilitatem.

XXXVII. Interdum, intra septem ab adversae valetudinis initio dies, morbo tollitur aeger, cujus oculi luminis nunquam impatientes fuerunt, neque pupillae dilatatae sunt, nisi in postremo ferè morbi die; cujus neque stomachus vomitu affectus, neque caput dolore.

XXXVIII. Mortalium, qui *hydrocephalo phrenitico* laborant, vox, utì certiores nos faciunt CELSUS,* WHYTTIUS,† et BURSERIUS,

* Vide CELS. *De Medicina*, lib. IV. cap. II. 2.

† Vide WHYT. *Observations*, &c. page 23.

SERIUS*, nonnunquam supprimitur. Rara verò, opinamur, vocis suppressio est, neque proprium hujus morbi signum habenda. Aegrorum, quibus medicinam fecit WHYTTIUS, non ampliùs unus voce captus est; neque profectò is, nisi semel singulis diebus bisve, post distentiones nervorum, quae, morbo in tertium cursûs spatium transituro, toties a brachio pervenire solebant ad fauces.

XXXIX. Quum hic morbus certo tempore non finiatur, spatia, quae percurrit, in diversis aegris differant longitudine, necesse est. Tribus nonnunquam finitur hebdomadis quatuorve. Interdum unâ aegrum rapit.† Nonnunquam, utì certiores nos facit

* Vide BURSER. *Institut. Pract.* tom. III. page 44.

† Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Intern.*

facit GREGORIUS*, per tres menses porrigitur; imò etiam, utì MONRO†, per quatuor.

INSPECTA

---

* Aud. GREGOR. Praelect. *De Medicin. Practic.* in *Acad. Edin.*

† Vide MONRON. *Treatise on the Brain.*

INSPECTA CEREBRA.

XL. Eorum, quos abstulit *hydrocephalos phreniticus*, cerebris ferro patefactis, turgida sanguine ferme semper vasa conspiciuntur, et effuso humore distenti ventriculi. Aliis verò cerebris plura vasa sanguine turgent, aliis pauciora. Potissimùm turgent in *pia matre*, quae perinde apparet, quasi humore tenui et sanguinolento arte immisso vasa ejus impleta fuissent.

XLI. Nonnunquam quidem, utì a QUINIO* et GREGORIO† accipimus, licèt ex signis, quae ante mortem apparent, ventriculos effusâ aquâ inundari credatur, nihil tamen

---

* Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Intern.*

† Aud. GREGOR. Praelect. *De Medicin. Practic.* in *Acad. Edin.*

tamen morbidi, post mortem, in cerebro patefacto invenitur, nisi vasa sanguine supra modum turgida. Sic interdum se habent cerebra eorum, qui, ante mortem, vixdum obstupuerunt.

XLII. Saepissime verò in cavis cerebri humor conspicitur. Modò, ut a TULPIO accipimus, in uno tantùm *ventriculorum lateralium*, aqua continetur: modò, id quod testantur BAGLIVIUS* et WHYTTIUS†, horum unum multum aquae distendit, dum in altero duntaxat pauxillum continetur: modò, utì fert PORTALIUS‡, humores, quibus hi utrique simul distenduntur, discolores sunt. In omnibus verò simul ventriculis

* Vide LOFT. WOOD. *Cases Medical, Chirurgical, and Anatomical*, vol. I. N°. IV.

† Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 25.

‡ Vide LOFT. WOOD. *Cases*, &c. vol. I. N°. IV.

lis humorem effusum quindecies MONRO* deprehendit, compluries WHYTTIUS†. Inter cerebrum autem et membranas, humor rarissimè in capitibus eorum conspicitur, quos hic morbus rapuit.

XLIII. Humor, in ventriculis contentus, cùm colore varius est tum copiâ. Aliàs perlucidus est‡, aliàs sufflavus§, aliàs subruber‖. In ventriculis cerebrorum, quae patefecit WHYTTIUS, humor rarò duas minùs uncias, rarò plùs quinque, aequabat¶. Auctor verò TULPIUS est, mortalis, cui mortem attulit hydrocephalos, in uno

* Vide MONRON. *Treatise on the Brain.*

† Vide WHYTT. pag. modò citat.

‡ Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 24.

§ Vid. EDINBURGH *Medical Essays and Observations*, vol. III. artic. XXIII.

‖ WOOD. *Cases, Medical, Chirurgical*, &c. vol. I. N°. IV.

¶ Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 25.

ventriculorum lateralium, bilibras aquae inventas esse*.

XLIV. Disputatur inter medicos, concrescat, necne, humor, qui in cerebris eorum, quos abstulit *hydrocephalos phreniticus*, invenitur. Calore coire, negat WHYTTIUS†. Acidis verò coagulari, BAILLEIUS‡ et MONRO comperti sunt. Aegriùs tamen cogitur, quàm sanguinis serum, quod in cava hydropicorum effusum est, eò, utì MONRO opinatur, quòd illi inest duntaxat exigua quantitas *lymphae*§, quae sola hujus pars est, quam cogunt acida.

XLV.

---

* Vide WOOD. *Cases, Medical*, &c. vol. I. N°. IV.

† Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 25.

‡ Vide BAIL. *Morbid Anatomy*.

§ Vide MONRON. *Treatise on the Brain*.

XLV. 1. In capite pueri, qui morbo, quem persequimur, mortuus est, cujusque historiam memoriae consignavit PAISLEIUS, tumor apparebat *durae matris*, sub sinistro *osse parietali*, unum amplius digitum transversum infra *suturam sagittalem*, in ipsa enimvero parte, quae, dum manebat vita, acutissimo dolore cruciebatur.

2. Patefacto hoc tumore, qui avellanam majusculam magnitudine aequabat, parva effluxit seri sanguinolenti copia; atque, in plica *durae matris*, conspiciebantur plurima albida corpuscula, lendices tarmitesve simulantia, qui putridas carnes praedantur. Hìc, ab inferiore parte, *dura mater piae matri* adeò adhaerebat, ut nisi lacerando separari non posset. Complures alii hujusmodi tumores, at magnitudine minores, a sinistra parte *sinûs longitudinalis superioris*, oculis

oculis se offerebant, qui sanguinolentum itidem serum continebant, et albida corpuscula.

3. Ubicunque hi tumores erant, ibi *dura mater* et *pia mater* inter se quàm arctissimè cohaerebant. In ventriculis cerebri, magna humoris sufflavi copia continebatur; atque *plexus choroeides* induratus erat, plurimisque *hydatidibus* obsitus, quarum tunicas vel levissimus tactus disrupit.

4. Caetera hujus pueri viscera sana erant omnia; praeter inteſtina, quae inania conspiciebantur, et, in compluribus partibus, indubia non inflammationis modò, sed incepti quoque *sphaceli*, signa inspicientis oculis offerebant *.

XLVI.

* Vide EDINBURGH *Medical Essays and Observations*, vol. III. artic. XXIII.

XLVI. In duobus aliis *hydrocephalo phrenitico* mortuis, quos incidit PAISLEIUS, cerebri tumores, quales memoravimus, non apparuerunt; ſed occallebant *plexus choroeides*, atque, imo cerebro, sub *nervis opticis*, *pia mater* crassitie *duram* ferè aequabat *.

XLVII. In *thalamo dextri nervorum opticorum* tumorem detexit WHYTTIUS, magnitudine minusculo ovo gallinaceo ferè aequalem, duriusculum, intus colore ſufflavum †. Tumorem huic similem in cerebello bis conspicatus est GREGORIUS. *Glandulam pituitariam*, vel *pinealem*, sanâ plerumque duriorem tumidioremque, viderunt MONRO et PETITUS. Cervicis glan-

* Vide EDINBURGH *Medical Essays and Observations*, vol. III. artic. XXIII.

† Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 34.

glandulas, mirum in modum, tumidas vidit QUINIUS *.

XLVIII. Signis, quibus cognoscatur *hydrocephalos phreniticus*, narratis, et morbidis, quae cadavera eorum, quos abstulerit, ferro patefacientibus se offerunt, ad indagandas causas, ex quibus oriatur, transeundum est.

CAUSAE.

---

* Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Interno.*

CAUSAE.

XLIX. *Proclivitas.*—Qua causâ in *hydrocephalon phreniticum* proclives sint mortales, nondum satìs constat, nedum inter medicos convenit. Proclivitatem in labe quadam congenita consistere, affirmat QUINIUS; sed candidus confitetur, minimè in aperto esse, quid sit haec labes*. Urgent hìc mala, latet malorum seminium.

L. *Hydrocephalon phreniticum* aliis quibusdam morbis succedere, medicorum experientia docet. Verùm his tamen morbis illi, necne, opportuni reddantur mortales, inter medicos non liquet.

LI.

---

* Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Interno*

LI. Sunt medici, quibus videtur, strumosos, prae caeteris, *hydrocephalo phrenitico* obnoxios esse. An verò ita sint, nondum satìs probavit medicorum experientia. Quotidie enim teneri aetate et impuberes hoc morbo intereunt, quorum parentes neque ipsi strumosi sunt, neque strumosis orti majoribus. QUINIUM auctorem habemus, parentes, qui utrique strumâ intaminati erant, illo morbo omnibus deinceps filiolis orbatos fuisse, dum, quod sanè mirum, omnes filiolae integrae pubuerunt *.

LII. Contrà, strumosis parentibus nati, in *hydrocephalon phreniticum* saepe incidunt. Viginti enim duorum, quos hoc morbo afflictos vidit PERCIVAL, haud minùs undecim strumosi erant, et tres, quorum

* Vide QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Interno.*

rum glandulas struma nondum depaverat, naturâ tamen strumosi videbantur *. Quinetiam strumosâ familiâ, quam scriptis memorat SAUVAGESIUS, omnes nati, ante sexennium completum, hoc morbo periêrunt †.

LIII. Quibusdam, porrò, medicis vero haud absimile videtur, tumores, qui cerebra eorum, quos absumpsit *hydrocephalos phreniticus*, incidentibus se videndos offerunt, strumosos esse; et miseros, in quorum cerebris crescunt, aptos reddere, quos hic morbus adoriatur. Nobis verò videtur, nondum satìs constare, utrùm tumoribus morbus oriatur, an morbo tumores; ideoque medicis longiore opus esse experientiâ, quàm, hac de re, certò concludant.

* Vide PERCIVAL. *Medical Facts*, vol. I.

† Vide SAUVAGES. *Nosolog. Method.* tom. I.

LIV. Nobis vero propius videtur, causam, qua *hydrocephalo phrenitico* obnoxii fiant impuberes, esse praematuram calvae firmitatem, propter quam crescenti cerebro cedere recusat, et sic obstat, quò minùs hoc justam acquirat magnitudinem. Cerebri igitur, utpote quod mole minus sit, quàm pro vi cordis, et arteriarum quae in caput sanguinem distribuunt, vasa perpetuò plena supra modum sint, necesse est. Quò fit, ut arteriae ejus justo aptiores sint, quae causis cor ac arterias incitantibus inflammationem concipiant, et, per surculos exhalantes, in ejus cava effundant humorem.

LV. Hanc opinionem verisimilem esse, idcirco concludimus, quòd praecoces infantes et vegeti, quippe in quorum cerebra sanguis alacri motu diffundatur, prae caeteris, huic morbo opportuni sunt; et quòd, quibus

quibus infantibus majuscula sunt capita, ii, sicuti observârunt medici, in hunc morbum rarissimè, si omnino, incidunt.

LVI. *EXCITANTES.*—Causae, quibus excitatur morbus, quem persequimur, plerumque parùm evidentes sunt. Eae, quas enumeravit WHYTTIUS, laxitas nimirum exhalantium cerebri arteriarum, calva inter parturiendum compressa, *glandulae pituitariae* duritia, sanguinis tenuitas, suppressa urina, vires longis morbis fractae *, potiùs, utì nobis videtur, *hydrocephalon longum* excitant, quàm *hydrocephalon phreniticum*; qui, utì nunc inter omnes convenit medicos, initio inflammationem habet.

LVII.

* Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 32.—36.

LVII. Verae causae eae videntur, quae, cordis arteriarumque motus vehementer diuve incitando, efficiunt, ut in caput sanguis nimiâ copiâ et impetu diffundatur, ac aut cerebri aut membranarum inflammationem moveat. Hujusmodi causarum aliae in ipsum caput agunt; aliae verò in hoc, per caeterum corpus.

LVIII. Ad primum (LVII.) causarum genus pertinent, calva praecipitationibus vel ictibus percussa; caput frequenter et diu demissum, ut in quibusdam infantum et puerorum ludis accidit *; ac forsan frequens et vehemens tenerorum vagitus.

LIX. Secundo (LVII.) genere comprehenduntur,

* Vide RUSH. *Medical Inquiries and Observations*, vol. ii. page 211.

henduntur, febres, tam remittentes quàm continuae* ; *rheumatismus*† ; phthisis pulmonum‡ ; *catarrhus*§ ; febris‖, quam movent *variola*, *rubeola*, *et scarlatina* ; vermiculatio¶ ; dolor colicus ; resolutio nervorum ; melancholia ; dysenteria ; dentitio ; insolatio ;

---

* Vide Lieutaud. *Histor. Anatomico-Medic.* vol. II.—Rush. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 211.

† Vide Lettsom. *Medical Memoirs*, vol. I. page 174.—Rush. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 212.

‡ Vide Percival. *Essays Medical, Philosophical, and Experimental*, vol. II. page 339 et 340.—Lieutaud. *Hist. Anatomico-Medic.* vol. II. lib. III. Obs. 380, 394, et 1121.—Quin. Dissert. Inaug. *De Hydroceph. Intern.*

§ Vide Lieutaud. *Hist. Anatomico-Medic.* vol. II. lib. III. Obs. 383 et 431.

‖ Vide Odier. *Medical Journal.*—Lettsom. *Medical Memoirs*, vol. I. page 171.—Rush. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 214.

¶ Vide Rush. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 214.

insolatio; scrofula; atque vetera ulcera subitò siccata*.

LX. *Proxima.*—Quum ex cognitis *hydrocephali phrenitici* signis, et inspectis cadaverum cerebris, satis est, quamobrem hunc morbum initio inflammationem habere credamus; causam proximam eandem putamus esse, atque eam caeterorum morborum, quos inflammatio comitatur.

LXI. Haud equidem ignoramus, nondum inter medicos, de proxima inflammationis causa, consentiri, et aliam, de ea, ab alio proponi opinionem. Haec enim causa, uti quibusdam videtur, est cruor, qui, vi nimiâ a tergo propulsus, in arterias ad perlucidum tantùm humorem accipiendum naturâ accommodatas

* Vide Lieutaud. *Hist. Anatomico-Medic.*—Rush *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 214.

commodatas aberravit; vel, ut alii contendunt, morbidus sanguinis lentor, prae quo, non potest diffundi, per capillaceas arterias; vel nimius motus arteriarum partis laborantis, spasmo extremarum earundem arteriarum intentus, utì CULLENO placet; vel, denique, ut alii putant, debilitas, eaque comparativa, partis inflammatione affectae.

LXII. Quum vox, *proxima*, comparativa sit, necdum inter se consentiant auctores, quid semper valere debeat; neutiquam profectò mirum est, *proximam* morborum *causam* esse, apud eos, foecundam inaniarum et contentionis materiam; atque, utì undam subsequitur unda, ita, de ea, alii opinioni succedere aliam; ipsam, forsitan, haud minùs vero absimilem, et alii aequè fortasse inani locum pòst aliquantò daturam.

LXIII. "*Si*," elegantissimè inquit ROCKCLIFFIUS, "*medicis verborum virtutis tanta* "*cura esset, quanto studio nova, ac nihil pro-* "*futura petunt; constantiùs sese opiniones* "*medicae haberent, neque aliam aliâ ferri,* "*neque mutari ac misceri omnes cerneres;* "*atque ipsa brevi medicina eò claritatis pro-* "*cederet, ubi, pro conjecturali arte, luculenta* "*scientia et stabilis fieret* *."

LXIV. Donec igitur medici accuratè definiant, quid, per *proximam* cujuslibet morbi *causam*, sibi velint, fieri non potest, ut, de ea, inter se consentiant. Quis enim, de re non definita, disputantium potest esse consensus?

LXV. Cùm res ita se habeat, esset sanè operam

* Vide ROCKCLIFF. Disput. Med. Inaug. *De Cynanche Tracheali*, GLASG. ann. M,DCC,XCIX, § XL.

operam ludere, de hac parte rei nostrae plura dicere: cùm praesertim opiniones de rebus controversis cognoscere potiùs, et cognitas comparatè excutere, quàm disceptare, tirones medicos deceat; neque audere controversiam dijudicare, quae, centum ampliùs annos, auctores distraxit ingenio praeclaros, quique cùm annis tum studio et experientiâ artem medicinalem calluerunt.

DIAGNOSIS.

LXVI. Quum *hydrocephalos phreniticus* tardè obrepat, et, simulatis quibusdam notis verminationis, *tabis mesentericae*, dentitionis difficilis, et lentae febris, incertum medicum faciat, quid aegroto sit rei, donecum medicina nihil valeat; plurimi mortalium interest, ut, ipso adversae valetudinis initio, illum his morbum medicus dignoscere possit. Quippe ni opportunè discernat, quis urgeat morbus, occasio aegro succurrendi praetermittetur, neque morti postea miserum medicina poterit eripere.

LXVII. *Hydrocephalon* autem *phreniticum* aliis morbis, quos signis quibusdam simulat, dignoscere, in primis difficile est. Signa enim, quae suprà memoravimus, haud rarò

constante

constante ordine neque concurrunt neque succedunt. Imò etiam nonnunquam absunt modò unum signum modò plura, amplitudo nempe pupularum, vomitio, delirium, perversi oculi, defectus stomachi, pulsus tardus et intermittens, capitis artuumque dolor; et tamen, post mortem, humor in ventriculis cerebri deprehenditur *.

LXVIII. Si tamen quis, nondum quindecim aut sexdecim annos natus, marcescit lentâ febre, cui nulla constat forma, quaeque certo circuitu neque remittit neque redit; si, singulis diebus, vel etiam biduo triduove, semel evomit; si, postquam febris aliquandiu continuavit, oculi lumen refugiunt, vertex capitis dolet, vel frons super oculorum orbitis, neque dolor, sicut is, quem

* Vide RUSH. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 209 et 210.

quem movent caeterae febres, remittit; si haec mala iteratâ vomitione, leni purgatione, et exulceratione omnino non, vel saltem parùm, levantur: est, utì putat WHYTTIUS, quamobrem, aegrum *hydrocephalo phrenitico* urgeri, medicus suspicetur *.

LXIX. *VERMINATIONIS*—et *hydrocephali phrenitici* communia sunt febris lenta, vomitus, capitis dolor, delirium, atque convulsiones; et, enimvero, hos morbos discriminare, in primis arduum est. Si tamen medicus percunctetur, quali aeger, dum sanus manebat, valetudine frueretur; quibus initio signis morbus obrepserit; et quo postea modo increverit; poterit plerumque discernere, utrùm verminet aeger, an *hydrocephalo phrenitico* urgeatur.

LXX.

---

* Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 27 et 28.

LXX. Vermiculati obtuso capitis ferè aequaliter totius dolore afficiuntur, qui modò remittit, modò intenditur. Eorum appetitus plerumque caninus est; soluta alvus: tumet, et pressum dolet abdomen: oculorum pupillae aliquantùm ampliantur: de naribus perpetuò destillat tenuis et acris pituita; quae ipsarum non modò alas et columnam, itemque labrum superius, tumefacit, verùm harum quoque partium tantum pruritum movet, ut ferè continuò carpant unguibus. Dentibus, inter somnum, subinde strident. Haud rarò, praesertim si nondum infantilem aetatem impleverint, convelluntur. Eorum calor, prout celeriùs vel tardiùs moveantur arteriae, vel intenditur vel remittit.

LXXI. Contra ea, *hydrocephalo phrenitico* laborantium primùm summa colli vertebra, deinde

deinde frons super luminum orbitis, vel alterutrum temporum, vel vertex, acuto dolore affligitur ; qui, licèt ab uno persaepe temporum ad alterum subitò perveniat, rarissimè tamen multùm remittit, donec effusus in ventriculos humor sensum soporet. Prae defectu stomachi, rarissimè cibos appetunt. Semel quotidie, vel biduo triduove, vomitu graviter vexantur. Eorum alvus astricta ferè semper est ; naturale verò abdomen. Nares aridae sunt ; neque aut harum alae et columna, aut labrum superius, praeter solitum, tument. Oculi, qui initio lumen refugiunt, quorumque pòst aliquantò pupillae perquam dilatantur, demum pervertuntur et caligant. Tardescentibus corde et arteriis, calor et febris, id sanè quod mirum, nihil quicquam remittunt. Musculi rarò, nisi appropinquante morte, convelluntur.

LXXII.

LXXII. *TABES MESENTERICA.*—Qui hoc morbo laborant, eorum quidem arteriae interdum non aequis intervallis moventur; attamen, contrà atque eae *hydrocephalo phrenitico* aegrorum, semper crebriùs, quàm solebant, prosperâ valetudine. Illorum, porrò, abdomen, horum verò non item, tumet, ac tanquam incluso spiritu intenditur; simulque artuum musculi, mirum in modum, macescunt.

LXXIII. *DENTIENDI DIFFICULTAS.*—Iis, quae tardè et difficulter dentiunt, et iis qui *hydrocephalo phrenitico* laborant, communia sunt, lenta febris, defectus stomachi, vomitus, dolor capitis, convulsiones; atque, novo etiamnum *hydrocephalo phrenitico*, medicus plerumque nescit discernere, utro morborum dentientes infantes laborent.

LXXIV.

LXXIV. Medicos tamen haud ignorare oportet, ex dentitione febrientium, contrà atque eorum ex *hydrocephalo phrenitico*, alvum catharticis facilè moveri ; os perquam incalescere ; rubere et tumere gingivas ; oculorum pupillas, prout clarior iis lux aut obscurior affulgeat, semper sese contrahere aut ampliare. His cognitis et in memoria retentis, medici nonnunquam, *hydrocephalo phrenitico*, necne, urgeantur dentientes, sagaciter discernere valebunt.

LXXV. *LENTAE FEBRES*,—quae diu protractae sunt, interdum, haud secùs atque *hydrocephalos phreniticus*, aegrùm, aliquandiu ante mortem, sopore opprimunt. Illis verò febribus impliciti, contrà quàm hoc morbo laborantes, rarò ejulant, raròque aut iis pervertuntur oculi, aut ampliantur oculorum pupillae.

LXXVI. Hìc verò confitendum est, quoties *hydrocephalos phreniticus*, ut haud rarò, verminationi, *tabi mesentericae*, difficili dentitioni, aut lentae febri superveniat, signa duorum morborum adeò commisceri, ut, uter primarius sit, medicus vix, imò saepe ne vix quidem, antè cognoscere possit, quàm eò processit, ubi medicinâ insanabilis est.

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

LXXVII. Quum signa morbi, quem persequimur, exponere in primis arduum sit, nobis non consilium est, de hac rei nostrae parte multa dicere ; eòque minùs, quòd in caeteris partibus jam nimii fuimus. Quum ita sit, pauca tantùm signa, quae scire utilissimum est, explicare conabimur.

LXXVIII. *LANGUOR, NAUSEA, ET VOMITUS*—omnium febrium obrepentium communia sunt ; atque oriuntur ex debilitate totius corporis, propter quam omnes partes muneribus fungendi impotentes redduntur. Ob hanc impotentiam, musculi vel levissimâ

mâ exercitatione lassantur, ac moveri pigent. Quinetiam, arteriae sanguinem in corpus aequaliter omne non diffundunt: unde non importuna modò sitis, arida cutis, et astricta alvus, verùm succus quoque *gastricus* parcus forsanque mali habitûs, qualis nauseam moveat aut vomitum.

LXXIX. *Capitis dolor*—movetur nimiâ vasorum, per quae distribuitur sanguis, plenitudine; atque hanc vel illam partem cruciat, prout, hìc vel illic, vasa maximè distendantur. Unde verò doleat modò cervix, modò artus, modò intestina; vel quare, his partibus dolentibus, remittat dolor capitis; explicare non aequè facile est. Partes sanè corporis, inter se distantes, saepe, ut docet experientia, simul dolent, per nervos, utì videtur, qui, modo nondum satìs intellecto, mirum in modum, consentiunt; et, utì

utì bene dixit HIPPOCRATES, " *ex duobus* " *doloribus simul instantibus, non secundum* " *eundem locum, vehementior obscurat alte-* " *rum**," hinc forsan abstractum ad se animum occupando.

LXXX. *LUCIS IMPATIENTIA*,—quae, primo *hydrocephali phrenitici* spatio, adest, ex acerrimo sensu oritur, quo *retina*, ob insolitam arteriarum venarumque oculorum plenitudinem, praedita est †. Quo enim plenior sanguine ulla corporis pars est, eo acriore gaudet sensu, utì ex erecto pene et inflammatis partibus satìs constat.

LXXXI. *VIGILIA*,—qua, morbo haud-

dum

---

* Vide HIPPOCRAT. *Aphorism.* sect. secund. aph. XLVI. edit. a *Vander* LINDEN.

† Vide ALEX. MONRON. prim. *On the Nerves*, cap. II.

dum inveterato, aegri premuntur, nimiâ nascitur partis inflammatae plenitudine; ob quam, cerebrum acerrimè sentit, ideòque aptum est, quod vel laevissimè stimulantibus plurimùm incitetur.

LXXXII. *NARES UNGUIBUS INSOMNES VELLICANT, ET DENTIBUS DORMIENTES STRIDENT*,—tantùm ii forsitan *hydrocephalo phrenitico* implicati, quorum simul alvi vermiculantur. Nares autem carpunt vermiculati, et dentibus strident, ob consensum, qui, per *nervum intercostalem*, naribus est et dentibus, itemque musculis, qui maxillam inferiorem movent, cum stomacho et intestinis*.

LXXXIII. *TARDA FERE SEMPER ALVUS EST*,

* Vide ALEX. MONRON. prim. *On the Nerves*, cap. II.

est,—ob consortium nondum satis intellectum, quod ei intercedit cum affecto cerebro.

LXXXIV. *Dilatantur pupillae, et pervertuntur oculi*,—ob resolutionem nervorum in oculos dispersorum, quam effusus in cerebri ventriculos humor effecit.

LXXXV. *Motus arteriarum tardi, et vi atque temporibus inaequales*, —quibus, secundo spatio, cognoscitur *hydrocephalos phreniticus*, expositu difficiles sunt. Oriuntur, ut nobis videtur, ex effuso in cerebri ventriculos humore, qui, hoc itemque nervos torpidos faciendo, cor quoque aliquatenus torpidum facit, ideòque minùs solito aptum, quod sanguine incitetur.

LXXXVI. *Citatissimus, tertio morbi spatio, arteriarum pulsus.*—Omnium signorum, *hydrocephali phrenitici* propriorum, hoc explicatu difficillimum est. Quanquàm humor effusus, ventriculos distendendo, motus arteriarum tardos et inaequales reddit; tamen, utì putat Whyttius, si distentio, ultra certum modum, augeatur, medullosas cerebri fibras adèo laedat, ut arteriarum motus citet *.

LXXXVII. Ut ita opinaretur inductus est, quòd animalium, quae extremum modò halitum efflârunt, quorumque nervi minùs sanè sentiunt, quam ii provecto *hydrocephalo phrenitico* oppressorum, *medulla oblongata* irritata cor denuo in motus paulisper incitat; et quòd *sales volatiles* eorum naribus

* Vide Whyt. *Observations*, &c. page 40.

naribus admoti, qui producto *hydrocephalo phrenitico* soporantur, vel aqua cinnamomina in ventriculum assumpta, cerebrum incitando nervis *iridis* novum impertiunt vigorem, hujusque fibras, radiorum more disposita, potentes reddunt ampliandi pupillam*.

LXXXVIII. *Spirandi tarditas*,—quae porrecto *hydrocephalo phrenitico* gravati, pariter atque attoniti, et ex *ischuria* torpidi, communis est, accidit, quòd, prae torpore nervorum, quem effecerit gravatum effuso in ventriculos humore cerebrum, musculi, quorum contractionibus alternisque relaxationibus spiritus trahitur et emittitur, non priùs in motus cientur, quàm anxietas, orta ex sanguine, in pulmonibus, in coccineum seu vitalem non converso, adèo magna

* Vide Whytt. *Observations*, &c. page 22, 40, 42, et 43.

na sit, ut instantis suffocationis sensum moveat *.

LXXXIX. *AEGER EX UNO DUO SE VIDERE PUTAT*,—quòd, propter alterutrumque oculum perversum, radii lucis, per humores permanantes, in consentientibus punctis ad focum non perveniunt, nedum in consentientes *retinae* partes rerum, unde emanaverint, depingunt imagunculas. "*It is* "*evident to those, who understand optics*," inquit philosophus gravis in primis et ingeniosus, "*that the pictures of objects which* "*are seen double, do not fall upon points of* "*the retinae which are similarly situated,* "*but that the pictures of objects seen single,* "*do fall upon points similarly situated* †."

* Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 45.

† Vide REID. *Inquiry into the Human Mind, on the Principles of Common Sense*, page 287.

XC. *Summa cutis maculis rubris variatur*,—ob magnam corporis debilitatem, qua, morbo provecto, arteriae patulae adeò relaxantur, ut cruorem sub cuticulam effundant, haud secùs atque solent in putridis febribus.

XCI. *Alvus faeces, vesica urinam, aegro nesciente, egerunt*,—propter resolutionem musculorum, quorum est claudere anum et vesicam, donec velit animus, ut relaxentur. Ipsa autem haec resolutio est debilitati, quam effecit morbus, attribuenda.

XCII. *Convulsiones*,—quoque, quibus finitur vita, debilitate oriuntur.

XCIII. *Calor, pro arteriarum motibus, non varius*.—Quare calor non variet unà

unà cum arteriarum motibus, explicare non possumus, neque ullus hactenus medicorum, quòd scimus, explicare potuit. Cùm ita sit, nos, qui medicinae rudes etiamnum et inexercitati sumus, exponere haudquaquam oportet aggredi.

PROG-

PROGNOSIS.

XCIV. *Hydrocephalos phreniticus*, nisi, ipso initio, aegro subveniatur, ferè semper lethalis est. Ne unum quidem eo correptum sanare potuit WHYTTIUS *. Quadraginta miserandis eodem implicatis GREGORIUS, viginti duobus MONRO, medicinam frustrà fecerunt.

XCV. Alii verò, DOBSON, nempe, PERCIVAL, medici sanè multi nominis, itemque MACKEIUS, chirurgus peritus, *hydrocephalon phreniticum*, quisque unum, quem indubia signa indicârunt, ad sanitatem, utì ipsi auctores sunt, perduxerunt †. Eundem quoque

---

* Vide WHYTT. *Observations*, &c. page 46 et 47.

† Vide *Encyclopæd. Britannic.* vol. XI. part 1. page 243 et 244. Edit. Tert.

quoque morbum RUSHIUS compluries sanavit *, atque bis, utì certiorem me fecit, RUTHERFORDIUS †.

XCVI. Quanquam, tot tamque praeclaris testibus, dubitare non possumus, quin hic interdum morbus medicinâ tempestivâ et idoneâ curatus sit; tamen, perlectis iis, quae, de eo, literis mandârunt clarissimi auctores, nobis plùs satìs constat, ad eum, postquam certa signa indicârunt, sanandum parùm plerumque posse medicinam. Quum ita sit, consulto et maturè facto opus est, ne, morâ interpositâ, eò increscat, ut vel peritissimo medico sanari non possit.

CURATIO.

---

* Vide RUSH. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. page 217—223.

† Professor *Rei Botanicae* in *ACAD. EDIN.*

CURATIO.

XCVII. Oportet medicos, qui opportunè advocati *hydrocephalo phrenitico* subveniunt, inflammationem, quam recens movet, modò possint, discutere; sin minùs, aquam effusam, qua confirmatus et provectus cerebrum gravat, sensumque stupefacit, educere. Quae, in hos fines, utilia sint, paucis exponere aggrediendum est.

CONSILIUM PRIMUM.

XCVIII. Ad discutiendam *encephali* inflammationem, quam recens *hydrocephalos phreniticus* habet, necessarium est non solùm abstinere ab omnibus, quae stimulando irritandove febrem ac inflammationem intendant,

dant, verùm idoneis etiam medicamentis et remediis tranquillare concitatum cor et arterias.

XCIX. *ABSTINENTIA.*—Hoc (XCVIII.) consilio, abstinendum est non a calore modò, et loquelâ, et luce, et sonis, aliisque, si qua, quae sensus offendunt, sed ab esculentis quoque et potulentis, quae, per ventriculum, cor instigant et arterias. Ne verò ex cibo et potu aeger detrimentum capiat, satìs cautum est a providente natura. Quamdiu enim continuat inflammatio, aeger alimentum rarissimè appetit, et plerumque rejicit assumptum.

C. *EXINANITIO.*—Quò verò digeratur inflammatio, praeter abstinentiam opus erit, ut corpori dematur materia, sanguinis de-

detractione, cucurbitulâ, et dejectione. De quibus protinus dicam.

CI. *Sanguinis detractio.*—Utrùm, quò discutiatur inflammatio, quae, *hydrocephali phrenitici* initio, urget, mittendus, necne, ex brachio sanguis sit, medici inter se discordant.

CII. Quum hic morbus corpus brevi, mirum in modum, debilitet, et ii, qui in eum incidunt, plerumque aetate teneri sint, qui sanguinis jacturam pati parùm possunt; nonnulli medici timent sanguinem mittere, ne vires, si quae supersunt, subitò dissipentur, et mors gradum approperet.

CIII. RUSHIUS verò, misso timore, qui, ex considerata morbi natura, ei vanus apparebat, septem *hydrocephalo phrenitico* aegro-

grotis, quorum quatuor infantes erant, et sex foeminae, aliàs semel, aliàs bis, aliàs ter, aliàs quinquies, sanguinem ad tres modò uncias, modò ad decem, detrahendum curavit. Hoc facto, simulque aut leni vomitu cito; aut alvo acrioribus catharticis, *jalappâ* nempe cum *muriate hydrargyri dulci* vel alöe, citatâ; aut salivâ *muriate hydrargyri dulci* leniter motâ; aut *nuchâ* exulceratâ; aut fronte aceto, quo liquata glacies fuisset, refrigeratâ; aegrotos septem omnes reduxit ad salutem *.

CIV. Si, mitteretur, necne, ex brachio sanguis, quis dubitat, ei considerandum est, non qua aetate aeger sit, sed potiùs quae vires, quantaque vis inflammationis; atque, his cognitis, judicandum, corpori materiam

* Vide RUSH. *Medical Inquiries*, &c. vol. II. pag. 217 et 222.

riam sic, necne, demere oporteat. Ubi signa vehementis inflammationis sunt, et aeger validus et nimis plenus, nihil, utì nobis videtur, obstat, quin tantum sanguinis mittatur ex brachio, quantum morbus desideret, et corpus pati posse videatur. Sed sanguinem hinc mittere, ubi ejus detractionem neque morbus requirit, neque vis corporis pati potest, adeò non prodest, ut mortem approperet.

CV. Quum pauxillum sanguinis ex parte ipsa inflammata missum, vel certè quàm proxima, plùs ad inflammationem digerendam valeat, quàm copia multo major ex parte distante; nonnulli contendunt, novo adhuc *hydrocephalo phrenitico*, sanguinem aut ex arteria utriuslibet temporum, aut utravis externa juguli vena mittendum. Quin sanguis, his partibus emissus, aequè ad inflammationem

flammationem discutiendam possit, et minùs infirmet corpus, vix dubium videtur.

CVI. Quando vis inflammationis et levationem requirit, et ex incisa vena aut arteria sanguinem mitti vires corporis non patiuntur, sanguinem mitti opus est per cucurbitulas vel hirudines. Hìc verò, ut nullum periculum, ita laevius praesidium est; nec potest vehementi malo, nisi aequè vehemens auxilium succurrere.

CVII. *Dejectio.*—Cùm *hydrocephalo phrenitico* laborantium alvus ferme semper compressa sit, dejectionem tum variis medicamentis, tum crebrâ ductione moliri opus est. Superquam enim quòd alvum ipsam acri materiâ, et vermibus, si qui insunt, exinaniat, sanguinem deorsum derivando cerebri inflammationem mitiget, atque capi-

tis

tis dolorem ; et impediat forsitan, quò minùs aqua ex patulis arteriis in ventriculos exhaletur, sensumque omnem soporet. Optimum autem medicamentum, quo moveatur alvus, est *murias hydrargyri dulcis*, de quo infrà fusiùs dicemus.

CVIII. *EXULCERATIO.*—*Hydrocephalo phrenitico* aegris idoneum semper auxilium est capitis exulceratio. Mitigat enim cerebri inflammationem, in qua recens hic morbus consistit ; et, serum ex vicinarum partium vasis evocando, effusum in cerebri ventriculos humorem, quo provectus inveteratusque sensus tardat et stupefacit, aliorsum forsan, ex parte, derivat.

CIX. *REFRIGERATIO.*—Ad reprimendam inflammationem cerebri, qua recente *hydrocephalo phrenitico* implicitus urgetur, utile for-

forsitan erit, caput ad cutem tonsum, et collum, aquâ frigidâ, vel hac cum aceto, vel linteo his mixtis succido, identidem refrigerare. Harum enim partium, modò non insudent, refrigeratio, dum tutum auxilium est, nonnihil forsan cerebri inflammationem, capitisque dolorem mitiget.

CX. *Positura.*—Eundem, denique, in finem, caput pulvinis suppositis quàm maximè suffulciendum est. Sic enim sanguis, ex sinistro corde, per arterias, minore vi et copiâ in cerebrum distribuitur; et hinc, per venas, expeditiùs redit in dextrum.

CONSILIUM SECUNDUM.

CXI. Dictis medicamentis et remediis, quibus inflammationi cerebri, quam habet recens

recens *hydrocephalos phreniticus*, succurri solet ; nunc de iis, quibus medici conantur effusam in cerebri ventriculos aquam educere, qua confirmatus et provectus sensum stupefacit, breviter dicendum est.

CXII. Effusum humorem ex cerebri ventriculis medici educere conantur, derivando in exitus naturales. Hunc in finem, medicamenta praescribere solent, quae pituitam, salivam, vomitum, alvum, urinam, et sudorem moveant. De his verò medicamentis, quae, medicorum linguâ, *HYDRAGOGA* nominantur, singulatim et fusè dicere, vix operae pretium esset ; cùm praesertim rarò, rarissimè quidem, data responderint. Tantùm de paucis igitur, ut quaeque memoratu digna videntur, dicemus.

CXIII. *ERRHINA*,—seu medicamenta quae

quae narium pituitam movent, quorumque in numero sunt pulvis *asari* et pulvis *nicotianae*, quippe cùm nunquam, quantùm scimus, responderint, hodie rarissimè adhibentur.

CXIV. *SIALOGOGA*,—quo genere comprehenduntur omnia medicamenta, quae salivam movent, rarissimè profuerunt. Hujus generis medicamentorum longè efficacissimum hydrargyrus est; cujus, haud ita pridem, invaluit usus, et de quo igitur fusiùs dicam.

CXV. *Hydrargyro—hydrocephalon phreniticum*, quem indubia signa indicârunt, PERCIVAL, DOBSON, et MACKEIUS, ut ipsi testantur, ad sanitatem perduxerunt *. Horum

* Vide *Encyclopaed. Britannic.* vol. XI. part 1. page 243 et 244.

rum auctoritate inducti, alii medici hoc morbo laborantibus praeceperunt, ut hydrargyrum et in ventriculum devorarent, et summae infricarent cuti, usquequo salivam moveret.

CXVI. Quàm verò parùm possit plerumque hydrargyrus, plùs satìs ostendunt experimenta, quae MONRO, medicus clarus in primis, frustrà cepit. "*Since the month* "*of August* 1779, *I have*," inquit hic auctor, "*attended twenty-two patients labour-* "*ing under internal hydrocephalus, to whom* "*I have given mercury. Of these fifteen* "*were males, and seven females. Twelve* "*of them were under seven years of age;* "*nine of them were from eight to fourteen* "*years of age: and one was twenty-three* "*years old. Four of them lived five days* "*only, after I was called: nine of them sur-*

"*vived*

" *vived seven or eight days : three of them*
" *survived ten days : five of them survived*
" *thirteen or fourteen days : one, six years of*
" *age, survived four months, without any*
" *sensible enlargement of his head* *."

CXVII. Etsi, ut experimentis (CXVI.) MONRONIS et aliorum superquam satìs constat, hydrargyrus plerumque parùm valeat ; tamen, cùm interdum, utì auctores suprà (CXV.) dicti testantur, et utì certiorem me fecerunt HOPEUS † et HOMEUS ‡, vel salivam movendo vel alvum, optatò respondeat, nihil est, quamobrem non semper eum medici periclitentur. Dum enim urget morbus, qui, sicut hic, plerumque lethalis est, et contra quem nullum certum hactenus

* Vide MONRON. Secund. *Treatise on the Brain*, &c. page 62.

† Professor *Chymiae* in Acad. Edin.

‡ Professor *Mater. Medic.* in Acad. Edin.

inventum praesidium, aliud, post aliud, auxilium experiri licet.

CXVIII. Quum ita (CXVII.) sit, debent medici, simul atque certò sciant, *hydrocephalon phreniticum* urgere, et medicamentis atque remediis suprà (C.—CX.) comprehensis cerebri inflammationem aliquatenus mitigârint vel digesserint, praecipere, ut aeger non solùm *muriatem hydrargyri dulcem*, sine mora, devoret, et *caeruleum* feminibus *unguentum* vehementer infricet, sed etiam perseveret, donecum gingivae intumescant, et os salivare incipiat. Fieri enim potest, ut hydrargyrus, si eò usque corpus affecerit, non committat modò, ut effusus humor ex ventriculis exsorbeatur, verùm tumores quoque, si qui morbum concitaverint, vel concitato supervenerint, paulatim discutiat.

CXIX. *Vomitoria—hydrocephalo phreni-*

tico

tico laborantibus parùm conveniunt. Recentem enim morbum graviorem reddunt, quippe cùm nisus, quos movent, in cerebrum sanguinem justo copiosiùs et violentiùs impellant. Nocent etiam, postquam inveteravit morbus, quum vires, si quae supersunt, dissipando efficiant, ut patulae arteriae aquam in cerebri ventriculos uberiùs exhalent.

CXX. *URINAM CITANTIA*,—utpote quae data nunquam responderint, hodie prorsùs ferè desueverunt.

CXXI. *SUDOREM MOVENTIA.*—An sudatio iis, qui *hydrocephalo phrenitico* plectuntur, multùm proficiat, nondum satìs constat. Aeger memoratur *, sed, an hoc utique morbo laboraret, dubium est, cui vaporarium,

* Vide DUNCAN. *Med. Comment.* vol. VIII.

arium, sudorem movendo, plurimùm profuit. Aegro quoque, quem, utì certiores nos facit GREGORIUS *, strabonem fecerat hic morbus, sudatio oculos sibi invicem parallelos vertendi facultatem, ex parte, restituit, sed caeteroquin nihil profuit.

PRO-

---

* Aud. GREGOR. Praelect. *De Med. Practic.*

PROPHYLAXIS.

CXXII. Ne *hydrocephalos phreniticus* quos adoriatur, quorum fraterculum jam sororculamve absumpserit, optimè cavebitur, parcè vivendo ; corpus quotidie leniter exercitando ; vel, quod fortasse plùs valebit, in parte, capiti quàm proximâ, *setacea* faciendo aut *fonticulos*, neque permittendo ut siccescant et sanescant, donec aetas, qua obrepit hic morbus, praeteriverit.

FINIS.